

18
19
20
21
22
23
24
25
26



1692.

18. Schubarth, Georgius: De contractu simulato.
- 19^{a et b}. Stenographus, 2. Philippus: De executione in bona feudalia.
2 Sampl. 1692: 1739.
- 20^{a, b, c}. Stenius, [Georgius Adamus]: De executione in effigie.
3 Sampl. 1692, 1699: ?
- 21^{a et b}. Stenius, [Georgius Adamus]: De operarum locatione et
conductione. 2 Sampl. 1699: 1747
22. Stenius, Georgius Adamus: De tacta legatorum adamp.
Hone.
23. Stenius, Georgius Adamus: De relaxatione juramenti
et affectum agentis.
- 24^{a et b}. Tilemannus, Paulus Henricus: De eo, quod iustum
est circa iudicium 2 Sampl. 1692: 1753.
25. Tilemannus, Paulus Henricus: Schedia dictionum
brevissumi membris memorie adumbratae talem
in Americae contumaciae iudicialis.
26. Wedelius, Georgius Wolffgangus, Decanus Fac. med: Praesep-
tionum inang.: de physiologia exciti Solomonorum

et saluae salutis (ut Disputationem Prærog. Johannis Petri
Biosleri invitata)

27^a Wildvogel, Christianus: De eo, quod justum est circa
angelos. 2^a Imp. 1692: 1773.

28^a Wildvogel, Christianus: De decanis. 2^a Imp. 1692: 1719.

29. Wildvogel, Christianus: De eo, quod punitur sex quod est
in suspensio.

30. Wildvogel, Christianus: De prohibita magistratuum
cum subditis conventionibus

31. Wildvogel, Christianus: De eo, quod justum est circa
festum natiuitatis Christi . . .

7
>
119
4
Fuerer
a





1692 12.1 6 30 8

DISSERTATIO IVRIDICA,
DE
OPERARVM LOCATIONE
ET CONDVCTIONE,

GERMANIS:
Von denen rechtlichen Fällen, welche sich in Sachen bedutt-
gener und nicht gelieferter Arbeit / mit Bauleuten, Künst-
lern, Handwerckern, Gefinde, u. begeben.

QVAM
PRAESIDE
GEORGIO ADAMO STRVVIO,
ICTO CELEBERRIMO,

FACVLT. IVRID. ORDINARIO ET H. T. DECANO FAMB
GERATISSIMO, CONSILIARIO SAXONICO
GRAVISSIMO, CVRIAE PROVINCIALIS ET SCABI
NATVS ASSESSORE DIGNISSIMO,

ERVDITORVM EXAMINI SVBIIICIT
A. E. R.

IO. CASPARVS MAERCKER.

HATNECA - MARKANVS, IVR. CVLT.
AD DIEM XXX. IANVARIJ CIO IO C XCII.



IENAE,
REC. LITTERIS IO. BERNH. HELLERI, 1747.



30

BIBLIOTHECA
DE

OPERARVM LOCALIUM
ET CONDICTIONE

DE ANNO
1700

GEORGIO ADAMO STRAVIO

PHYSICO
ET MATHEMATICO

IO CASPARO WALTERO

AD PRAEFATIONEM



AD PRAEFATIONEM





PROOEMIUM.



Communem humani generis indigentiam mutuo adiutorio sublevare, est ex numero eorum, quae sunt de officiis humanitatis: ipsa etenim natura, cum in statu miseriae solum hominem ex omni animalium genere nudum dereliquisset, quasi in solatium humanae conditionis, cognationem inter omnes constituit, quae singulos vinceret ad promovenda aliorum commoda, necessitatemque imponeret succurrendi aliorum inopiae, ope mutua, & permutatione rerum. Debitum istud humanitatis ipsimet genti-

A 2

les

les agnovere. Cicero L. i. de officiis. Ita illud expresfit: non nobis solum nati sumus, ortusque nostri partem patria vindicat, partem parentes, partem amici, atque, ut placet Stoicis, quæ in terris gignuntur ad usum hominum omnia creari, homines autem hominum causa esse generatos, ut ipsi inter se, alius aliis prodesse possint, in hoc naturam debemus sequi, & communes utilitates in medium adferre mutuatione officiorum, dando, accipiendo, tum artibus, opera, tum facultatibus devincire hominum inter se societatem. Fluunt inde obligationes gentium inter gentes, ad concedendum transitum innoxium per terram alienam, ad dandam facultatem commorandi ad tempus, imo ad omnes actus, quos humana vita desiderat, vid. Grot. de J. B. & P. L. 2. c. 2. ad quæ omnia homini jus tale datur, ut homo non nisi cum injuria istud denegare possit. Cæterum non saltem ad res superfluas alteri genti communicandas pertinet ista, de qua diximus, obligatio, sed & ad concedendum usum rerum, quin & operarum, nam & has ex conventionione præstare, nec libertati naturali repugnat, nec indecens censetur. Quæ vero diximus de sublevanda aliorum inopia & egestate, non omnem præstiti officii compensationem excludunt. Nam præterquam se

ea excipiantur, qua sine labore & detrimento fieri possunt, v. g. erranti monstrare viam, non prohibere aquam profluentem, pati ignem ab igne capere, si quis velit (quale quid denegare, plusquam ferinum foret) tantum abest, ut ratio humana ejus, quod praestitum est, compensationem reprabet, quin potius neminem, nisi sub reciproca obligatione satisfactionis ad talia exigenda, regulariter admittat, sic opera sua indigenti succurrere, est quidem debitum humanitatis, ita tamen, ut alter istam compenset, cujus arbitrio modum compensandi, & tempus relinquere, nec ipsa ratio vult; sed juste exigi potest, ut prius per conventionem determinetur: qua pactio communiter reduci potest ad locationem conductionem (quoniam operarum praestatio deberi possit quandoque ex contractu innominato) modo de talibus fiat, pro quibus merces exsolvi solet. Visum fuit, operae pretium esse de operarum locatione, disputationem Juridicam conscribere, cum jussui parentis satisfacturus, ingenii vires in hoc exercitiorum genere probare debuerim, rem itaque cum Deo aggressus, pro viriis mearum modo absolvere allaboravi. Quod methodum disputationis attinet, de ea multa verba dicere super sedeo, ipsa enim series facile docebit, quod à communi in conscribendis disputationibus, aliisque

que usitato modo non multum resiliuerim. Coetorum
 anceps diu hæs, an liceat in publicum progredi mihi
 parum exercitato; verum fluctuantem confirmavit
 summa humanitas Illustr. Dn. Præsidis, & gravissi-
 mum ejus præsidium, quò me dignari gratiosè promi-
 sisse, animum edexit: sane ipse mihi gratulor, quod in
 cathedra stare mihi contingat, Præside Viro summo,
 quo moderatore, ipse parens meus (uti sapius gloria-
 tus est, & adhuc dum gtoratur) studia sua quondam
 tractavit, & non infeliciter absoluit. Quod super-
 est te rogo B. L. ut se non probare, tamen nec impro-
 bare ausus meos, & juvenilem laborem, velis. Va-
 le & fave.

I. N. D. N. I. C.

THESES I.



omine operarum in sensu latiori exprimi
 studium quodvis, diligentiam, & toleran-
 tiam, constare potest ex l. 1. pr. ff. de J. &
 J. l. 21. §. 11. l. 39. de recept. arbitr. l. 8. pro
 socio. atque ita facta, quæ in non mercenaria opera,
 sive ea sit vulgaris, sive dignior, isto nomine com-
 pre-

prehenduntur. Strictius vero *opera*, quæ & fructus dicuntur. *l. 4. ff. de oper. servor.* & in usufructu esse. *l. 3. ff. eod.* significant factum aliquod externum, & laborem corporis, maxime mercenarium, seu tale factum, quod objectum locationis constituit; & hæc significatio huius loci est: suppeditat quidem *l. 1. ff. de oper. libert.* descriptionem quandam operarum, quod sint *diurnum officium*, non quasi operæ etiam nocte præstari non possint, sed quod isto tempore regulariter non fiant, tempore divino vero frequentius, & fere semper, ut ita per diem, non civilis (ad quam dimidia pars noctis præcedentis, & dimidia noctis sequentis, cum luce intermedia, refertur. *l. 8. ff. de feriis.*) intelligatur, sed naturalis potius, qui à solis ortu ad occasum labitur; Verum latior est ista descriptio, quam ut saltem conveniat operis in posteriori significatione acceptis, nam & officiales, quæ in officio quodam sunt exhibendæ, & negotiis tractandis consistunt, eo pertinent: dicimus itaque operas esse factum aliquod, vel in nudo corporis ministerio, vel in certo artificio constans, vi conventionis, pro certa mercede alicui præstandum.

Th. II. Locationis vocabulum varie sumi à *Juris* inter eruditos constat: vel enim denotat
(1) de-

(1) cujusvis rei concessionem ad usum, etiam qua utendo consumitur, ita ut in mutuo dicatur esse locatio. *l. 33. pr. ff. de usur. Nov. 160. in pr.* vel (2) quodcunque negotium, quo usus rei alicui conceditur pro aliqua praestatione, ita ut etiam de Emphyteusi, Jure Censitico, libellario &c. praedicari possit. *l. 1. § fin ff. si ager vectigal.* Hahn. ad *Wef. intit. locat. n. 3.* & has significationes improprias esse, facile patet. Proprie vero exprimit ejusmodi conventionem, per quam usus rei, vel personarum alteri conceditur pro certa mercede; ut ita duplex objectum habeat, rerum scil. usum & personarum: prius extra propositi limites est, ideo eo seposito, posterius, quod usus, seu factum personarum, operæ scil. conficiunt, pertractare constitui.

Th. III. Antequam vero ad ipsam definitionem progrediar, moneri debet, quod licet locatio & vocabulum locationis à conductione, & conductionis vocabulo probe discerni debeat, cum alius locator, alius conductor, alia actio locati alia conducti; tamen aliquando alterutro vocabulo totum denotatur negotium, totusque contractus, ut constat *ex l. 20. ff. de action. empti. l. 4. ff. 3. b. i.* non quasi ea pars, quæ locatio est, cadema
& sic

& sit conductio, vel contra; sed quia non est natura, quin sit alterum, & uno posito, necesse sit continuo poni & statui alterum. Donell. ad leg. *stipulationum* §. 1. n. 2. de V. O.

Th. IV. Quibus præmissis definiri potest operarum locatio, quod sit contractus consensualis, de præstanda opera personæ pro certa mercede. In quo negotio consideranda veniunt (1.) personæ. (2.) Objectum, quod in contractum deducitur. (3.) Forma & modus. (4.) Effectus: Denique (5.) contraria.

Th. V. Quod personas attinet, omnes recte hunc contractum ineunt, qui alias ad contrahendum habiles, de quibus late *Illustr. Dn. Præses Ex. 6. tb. 36. & seqq.* Et quidem in simplici operarum locatione locator dicitur, qui operas præstat; Conductor, qui mercedem pro præstita opera exsolvit, vel cui opera præstat. In locatione vero cui implicita est rei vel operis productio, locator operis est conductor operarum, & locator operæ est conductor operis, qui in specie dicitur redemptor *l. 39. ff. de rei V.*

Th. VI. Sciendum vero, quod contractum locationis operarum inire possint saltem ejusmodi personæ, quæ ad operas præstandas habiles sunt,

B

hinc

hinc cum istaabilitas non detur in infantibus, & defectu lenetatis hominibus. *vid. l. 12. §. 3. ff. de usufr.* ideo ab hoc contractu isti erunt excludendi. Cum autem impuberis aliqua operæ esse possint, maxime in scena si sit histrio, vel alterius voluptatis artifex, vel calculator *l. 7. §. 5. ff. de oper. libert. l. 31. de R. V. l. fin. §. ult. de liberal. caus.* dicendum erit hunc obligari ex contractu ad operas præstandas, in quantum inde locupletior factus.

Th. VII. Cæterum ab hoc contractu regulariter nemo excludendus est: licet quoad Ecclesiæ ministros res non sit extra omnem controversiam: his enim uti late explicat Molina de J. & J. *Tr. 2. D. 342.* concedendum non est, ut mera politica tractent *1. Petr. 4. vers. 15.* aut opificia exerceant & boves agrent. *Ecclesiast. 38. v. 26. seq.* & sub horum nomine etiam comprehendantur Custodes Ecclesiarum & æditui. Verum cum hi in lato tantum sensu ita dicantur, hinc si opificia didicerunt, non prohibentur ea si velint una exercere. *Concil. Carthagin. IV. c. 51. seq. Schilter. Instit. Jur. Ecclesiast. L. 1. Tit. 16. §. 6. in f.* maxime in pagis, absque tamen sui officii neglectu, vel singulari civicorum opificum dispendio. *Ordinat. Ecclesiast. Elect. Sax. in general. art. 40. §. Als auch die Glöckner.*

ner. vers. Damit nun auch die Kirchen-Dienste (weilen gemeiniglich die Besoldung sehr gering, und die Gemeine einen Müßiggänger zu unterhalten, unvermögen,) kein Mangel sey. So lassen wir hiemit nach, daß die Kirchner so auf den Oberherrn Handwerker können, dieselbe nicht außerhalb auf den Herrnhöffen, oder sonsten, sondern alleine daheim in ihren Häusern zur Nothdurfft, und nicht zu satten kauffe den umliegenden Städten und Meistern desselbigen Handwercks zu Nachtheil treiben. vid. Carpz. *L. 1. consist. def. 87.* ubi duo de his rescripta exhibet; unde si hac indulgentia forsitan abuti suo ministerio deesse, & officio plus iusto studere incipiant, commoda inhibitione coerceri debent.

Th. VIII. Cum vero hoc negotium conventionem constituatur, nemo autem invitatus teneatur contrahere; constat inde quod ad operas suas locandas nemo cogi possit; illud tamen receptum est in rusticis & subditis, quod quando operas suas elocare volunt, Domino suo præ aliis eadem mercede, eodemque tempore eas præstare debeant. Illustr. Dn. Præf. in *Decis. Sabbath. cap. 9. thes. 35.* Carpz. *1. Resp. 59.* Richter. *Dec. 98. n. 75.* Sic in Marchia consuetudine introductum, ut nobili & domi-

domino operam præ aliis locare cogantur. Schepliz. Consuet. March. p. 4. tit. 10. §. 2. Imo moribus opifices ad operam cuiunque pro certa mercede præstandam cogere licet, publica namque professio profitenti obligationem injicit, ut operam non subducat. l. 1. pr. ff. de administr. tut. ibique Bald. & publica sunt opificum munera, ex quo collegii jus impetrant. arg. l. 239. de V. S. ad quæ inviti per Magistratus coguntur. l. 9. de munerib. & honorib. Mey. P. 2. D. 175. ubi in seq. dec. de praxi testatur. Illud majus est, quod artifex cogi possit à Magistratu, ut in sua arte alios instruat. Perez. in C. ad tit. de excusat. artific. n. 10. quod notandum esse dicit Brunn. in C. ad cit. tit. in f. contra invidos homines, qui insigniter in arte aliqua versati, nolunt artem alios docere, qui tamen ad id compelli possunt.

Th. IX. Illud notandum, quod liberi operas suas locare, saltem per consequentiam sæpe compellantur, talibus enim parentes non debent alimenta, textus notabil. in l. si quis, s. §. 7. ff. de agnosc. vel. al. lib. ubi: *si filius se posset exhibere, æstimare judices debent, ne non debeant ei alimenta decernere.* Denique idem Pjus ita rescripto: *aditi à te competentes judices, ali te à patre tuo jubebunt*
pro

pro modo facultatum ejus, si modo cum opificem te esse dicas, in ea valetudine es, ut operis sufficere non possis. Ex quo textu colligitur à contrario sensu, quod filium opificem pater non cogatur exhibere, si in ea valetudine sit filius, ut operi satisfacere possit. Anton. Cordub. de Lara, ad *d. l. si quis §. Et d. §. num. 123.* ubi plures hujus argumentationis & collectionis authores enumerat. Sic è contrario, cum correlativorum eadem sit dispositio. *l. 1. C. de Cupres. lib. XI.* si pater sit opifex, & operi sufficere possit, non cogetur filius eum exhibere. Idem dicendum si is qui alimenta postulat, opificio quod didicit non præesse labore tamen & opere rustico victum sibi quærere possit. Bartol. & Angelus in *l. 1. C. de Mendic. Valid. Lib. XI.* nec obstant verba Ulpiani in *d. l. §.* hæc: *Cum opificem esse dicas.* Nam Ulpianus facti speciem enarrat, non constituit aut disponit. *Dissent. Cravetta Conf. 199. n. 1.* qui conatur defendere, quod ei qui operi rustico, operam dare potest, non possit pater denegare alimoniam, propterea, quod filius in opere hoc se nolit exercere, cum indignum se id putet, hanc sententiam probat Gothofred. *ad cit. l. §. §. 6. lit. m.* si ratio generis & nobilitatis liberorum illud non patitur; nam ea posse dicimur, quæ commode, &

cum honestate facere possumus. *l. 15. §. manciporum. ff. de usufr. l. 34. ff. de oper. libert. l. 125. de V. S.* Coeterum quæ dicta sunt quoad filium, qui honesta aliqua arte se sustentare potest, pater eum non teneatur alere. Hippolit. Bonacosi. *tract. de servit. quest. 138. n. 21.* qui etiam expresse *n. 4.* addit; quod filii, quibus alimenta præstantur, patri operari teneantur, alias non debeant ali: attamen hæc jura non aliter intelligi possunt, quam quod filius à patre non possit exigere alimenta: Verum si ipse pater præstet alimenta, & non exprimat, vel alias non certo appareat, velle istum ut opera filii compensentur, potius censetur donasse, & non compensandi animo fecisse: hætenus de personis, progredimur ad contractus nostri objectum.

Th. X. Veniunt in hanc speciem contractus, facta, non quidem omnia: sane impossibilia sive physice sive moraliter huc non pertinent, nam quæ contra bonos mores sunt, ea nec facere nos posse credendum est. *l. 15. ff. de condit. & demonstrat. l. 137. §. 6. de V. O.* adeo, ut nec juramento accedente, obligatio ad talia induci possit, nam non debet hoc esse vinculum iniquitatis: sicut nec qui tale non servat, perjurus dicendus, quanquam peccet, quod nomine divino in vanum utatur, &
quidem

quidem in tantum invalida est obligatio ad turpia, ut ipsi promissioni, quæ facta est ob causam ejusmodi naturaliter vitiosam, v. g. ob homicidium perpetrandum, vitium accedat. Grot. *L. 2. c. 11. n. 9.* hinc non saltem locator si obire facinus recu-
saverit, ad implendum pactum à conductore compelli non potest, sed & ipse conductor recte inde recedit, quem alter non habet obligatum, ut in voluntate perseveret quo ipse mercedem promissam consequatur. Puffendorf. *de J. N. & G. L. 3. c. 7. §. 7.* An vero commissio turpi facti, jam & jure naturali debeatur, quod ob illud promissum, quæritur? audet hoc affirmare Grot. *cit. loc.* quasi impletio promissi labem in se habeat, quatenus est illex mali, quæ labes cesset crimine peracto, cum illex esse desierit. In testem asserti producit Judam Jacobi filium, qui Thamari, quam meretricem putaverat, solvere mercedem promissam voluit. Recedit ab hac sententia non immerito Puffend. *cit. c. 11. §. 8.* eo quod promissionis impletio sit pensatio sceleris, & invitatio ad plura suscipienda, indeque turpis; habet adhuc alias rationes, & ad exemplum propositum adducit responsum Seldeni, quæ videri potest *L. 4. c. 4. de J. N. & G.* pertinet quoque huc illa quæstio: an quod meretrici promissum,

sum, hæc impleta fœditate saltem de jure Romano illud potuerit exigere? non pauci affirmativam probant, uti videri est apud Brunnem. ad l. 1. C. de condic. ob turp. caus. item Moranc. ad leg. 4. §. sed & ff. eod. ubi inter alia hæc habentur; cum apud recuperatores Basilicanos mota fuisset hæc eadem questio anno 1612. mense Decembr. lecto magni cujusdam viri, & opulentissimi testamento quo mille ducenarum liberarum ususfructus in annos singulos relictus fuerat, secundum ejusmodi affectionis fructuariam pronunciatum est, nec appellatum à condemnatis. Verum licet secundum mores illius gentis apud Romanos extra legis pœnam fuerit corpus publice prostituere, & nomen suum apud Ædiles profiteri; credibile tamen nequaquam est, ad consequendum fœdum istum quæstum à Pratore unquam meretrici datam fuisse actionem, sic sentiunt Brunn. cit. loc. Perez. in Cod. ad eund. tit. num. 5. conf. Puffend. l. 3. c. 7. §. 8. inf. Cœterum quæ dicta sunt de factis turpibus, quod locari nequeant, non potest extendi ad talia, quæ cum periculo conjuncta sunt, hæc enim recte locantur: Sic potest quis locare operas ad fructus colligendos ex arbore alta, vel accommodandum tectum, nec talis est infamis, cum fiat ob utilitatem publicam, & male

male Angel. *ad l. 1. §. bestias ff. de postul. tenet, de fide & fama ejusmodi locatoris diminui; non enim exigere debemus, ut glorie aut virtutis causa quid fiat, quo magis quis infamia eximatur, ne consequens sit, eum, qui operas locavit, ut feram regioni nocentem depugnet, notam non evadat, uti ratiocinatur Petrus Roytius Maureus *decis. Lithuani c. 3. n. 540.**

Th. XI. Constat igitur ex superioribus, facta licita in hunc contractum posse deduci, quam simplicia plane huc non pertineant, qualia sunt servum manumittere &c. *l. 5. §. 2. l. 7. P. V.* sicut nec quæ in non mercenaria opera consistunt, eaque vel vulgari, vel digniori quasi ob gravitatem & dignitatem suam æstimationem non recipiant, ut ita veteres locationem conductionem circa talia non esse crediderint, cum tales personæ operas beneficii causa præstare dicantur Jalon. *ad tit. Inst. de action. §. actionum autem n. 170.* & quod non proprie merces sit, sed salarium, sive honorarium, quicquid illis pro operis præstatur, cum remunerationis gratia fiant. *l. 38. §. 1. ff. locat.* Quo pertinent, quæ clericis pro administratione officii circa sacra exsolvantur, nam & his stipendia & salaria solvi debere, contra anabaptistas late proba-

vit Gerhard. *loc. de ministr. Eccles. c. 7. sect. prior.*
 §. 324. hinc honoraria pro proclamatione & copu-
 latione, funeris deductione, concione funebre ut
 & nummi confessionarii, una cum illis qui pro ad-
 ministracione baptismi dantur, ipsis nec inviden-
 da, nec deneganda sunt. *Carpz. 1. Consist. def. 110.*
& mult. seq. lic & opera quæ à Jctis in docendo, &
 patronis caularum clientibus præstantur, non sunt
 objectum contractus nostri, non minus ac illæ,
 quas medici in curandis morbis adhibere solent,
 quanquam his personis honorarium etiam non
 promissum, secundum conditionem personæ, pro-
 fessionemque suam omnino debeatur, quod extra
 ordinem peti solet, officio judicis implorato, et-
 iam tunc, quando vel æger ex morbo moritur, vel
 Doctores ob ingruentem pestem, bellique pericu-
 la docere non potuerint, vel advocatus intra an-
 num decedit, cum in his personis non tam opera,
 quam animi judicium, artisque quam docent di-
 gnitas spectetur, juxta DD. longa serie enarratos à
 Petro Royzio Maureo *cit. Dec. Lithuanic. 4. n. 384.*
& seq. Illud tamen sciendum, quod Medicus, qui
 ob hominem sanandum certam pecuniæ summam
 sibi dari pactus est, homine ita sanato ut modico
 interjecto tempore in morbum pristinum recide-
 rit,

rit, à mercede excludendus sit. DD. *In l. Marcus ff. locali.* Speculator, tit. de Salariis §. *ult. num. 1.* (ubi *num. 6.* probat Medicum debere curare pauperem gratis) cit. Royzius Maureus, Decis. Lithuan. *3. n. 85.* nam non videtur recuperasse pristinam valetudinem æger, qua nondum usus proponitur, & non videtur ægritudo recessisse, quæ in conti- nenti rediit, ita ut tali casu Medici sit & centies in- firmum curare & sanare. Speculator. *cit. loc.*

Th. XII. De agrimensoris opera quæritur: an & illa objectum nostri contractus constituat? sane de *J. Rom.* non est inter agrimensorem & do- minum fundi locatio, nec officium ejus appellatur Mechanico titulo *locationis conductionis*, nec dicitur ille servire, sed operam beneficii loco præstare, & quod pro ea datur non venit nomine *mercedis*, sed remunerationis loco & ad similitudinem *J. Cro- rum honorarium* appellatur. vid. Vincent Caroc, *in tract. de locat. cond. p. 3. qu. 2. per tot.* Inde et- iam est, quod si mensor in renunciando falsum modum dixerit non a cione aliqua locati, sed præ- toria ex Edicto, si mensor falsum modum dix. con- veniatur. *t. t. ff. si mens. fals. mod. dixi.*

Th. XIII. Pertinent itaque ad contractum nostrum tales operæ, quæ corporis ministerio
C 2 pera-

peraguntur, & certam aestimationem recipiunt, non vero sunt ista uniusmodi; alia enim nullam artis peritiam requirunt, v. g. fodere, iter facere, &c. quo pertinent servitia quae famuli ordinarie Dominis praestant: alia artis cujusdam, mechanicae scil. notitiam praesupponunt, quales sunt operae quae ab opificibus & artificibus praestantur, sane tum demum operae, quae circa materiam aliquam ex qua aliquid confici debent, adhibentur pertinent ad hunc contractum, quando materia provenit ab ipso, cui parari debet, sive qui locavit opus & conduxit operas; si vero Dominus operarum est quoque Dominus materiae non erit locatio, sed vel emptio, vel alius contractus. §. 4. *J. de locat.* Illustr. Dn. Praefes *Ex. 2. p. 17. 8.* Inde datur duplex opificum genus, unum quod solum laborat in aliena materia, & sic sine mercatione; alterum quod praeter labores etiam quodammodo mercaturam vid. Mauriti Ducis Sax. Neue Landes-Ordnung de anno 1543. Tit. von den Handwercks-Luten. Quorum differentia aliqua etiam apparet ex literis quinquennialibus, Ciferne oder Instands-Brieffe, nam non potest se juvare literis quinquennialibus qui debet alicui opifici ex labore personae, gallice: *Pour labour de bras*, hoc enim debi-

debitum est privilegiatum, quia major est labor personæ, quam rerum *l. 10. ff. de pœn.* alioquin materia delinquendi præberetur, locarem enim opus multis, & eo facto, impetrarem literas moratorias, ait Petr. Rebuff. *Tr. de liter. dilat. art. 1. gloss. 1. num. 27.* at contrarium obtinet in altero genere, sic enim *id. d. l. n. 44.* annotavit anno 1533. *d. 11. Decembr.* fuisse literas ejusmodi concessas contra pistorem, quia merces possunt in hoc consistere, & ipse Mercator esse, licet alias in pretio debito ex venditione rerum commestibulum, v. g. vini piscium &c. in pleno foro facta, hæ dilationes locum non habeant. Boer. in *Decis. Burdegal. qu. 296.*

Th. XIV. Illud sciendum, quod locari possint operæ non solum propriæ, sed & alienæ *l. 9. § 25. pr. & §§. seqq. ff. de oper. libert. l. 3. ff. de usu & usufr. legat.* Ita ut conductor operas conductas alteri locare possit; quod præprimis procedit in operis artificialibus, quas dominis famuli debent late Stamm. *de servit. person. l. 2. c. 6. per tot.* ubi exceptiones (1) quando operas tales, ad quas suo Domino non tenetur, alii præstare debeat (2) quando Dominus extra locum, quam ubi moratur, & ubi conventum est, famulum alii operas exhibere juberet, (3) quando is cui ex delegatione Domini o-

C 3

peræ

peræ exhiberi debent, est rixofus, odiosus, dirus &c.

Th. XV. Cæterum manus pretium, quod ab altera parte in contractum deducitur, partem objecti constituit, dicitur communiter *merces*, à merendo, & est laboris præmium Coraf. Miscell. L. 2. c. 11. § 12. vocatur etiam *pretium*. l. 28. §. 1. l. 51. §. 1. l. 58. pr. ff. locat. l. 10. de acquirend. poss. l. fin. ad leg. Rhod. de *Factu*. Germ. vocatur *der Lohn*. Hæc de objecto dixisse sufficiant, progredimur ad formam.

Th. XVI. Forma contractus nostri consistit in conventionione de præstandis operis pro certa mercede: de illis quidem in superioribus abundè dictum, quod mercedem attinet, circa illam notandum (1) quod illa ab initio constitui debeat, ea enim non constituta, in aliud negotium contractus incidit, si enim gratis præstanda suscipiatur opera, sciente & volente altero, Mandati contr. initur, si vero ignorante aliquo, negotiorum gestio, si autem non gratis, sed pro mercede postmodum constituta, contr. innom. facio ut des, celebratur, ideoque Præscriptis Verbis agendum est, l. 22. p. v. §. 2. inf. J. quib. mod. re contrab. obl. §. ult. J. Mandati, quod tamen tum demum procedit, quando alter

alter vel factum præstitit, vel alter dedit, ut factum insequatur, nam si neutrum adsit, conventio intra terminos nudi pacti subsistit. (2) Notandum quod merces operarum ab initio non aliter quam in pecunia numerata constitui debeat; Brunnem. *ad pr. J. de locat. Cond. Ex. 10.* Lopez. in animadvers. Jur. Civ. *Cap. 15. num. 4.* Treutl. *v. 1. D. 29. hb. 3. & 4. lit. g.* ibique Bach. Riemer. quæst. Jurid. *Dec. 11. qu. 1.* qui præter rationes quas adfert Lopez. *cit. loc.* addit hanc; quod omnes leges, quæ de aliis rebus, quam pecunia numerata loquuntur, tractent de locatione *rerum*, in qua non tantum pecunia numerata, sed & alia quævis res, ut fructus, ab initio accedere potest *l. 21. C. locati l. 8. C. eod. l. 35. inf. ff. locat. & l. 35. §. 4. eod.* quoties vero in facti locatione occupatæ sint leges, toties pecuniam numeratam requirant. *vid. l. 1. §. 9. ff. deposit. & l. 5. §. 2. p. V.* novissime hanc sententiam suo comprobavit iudicio Hillig. Don. Enücl. *d. 13. c. 6. li. inf. & l. k. inf. & Magnif. Dn. Lynck. in Anal. ad titul. Inst. de locat. cond.* sic sentit præterea Brunnm. *ad l. 21. C. locati.* qui putat in locatione fundi frugiferi non requiri omnino pecuniam, sed posse mercedem consistere in fructibus ex fundo provenientiibus, aliter esse in locatione operarum, quippe quæ semper requirat pecu-

pecuniam numeratam ; sane ex postfacto in alia re volenti locatori satisfieri potest, nec per hoc mutatur natura Contractus, quia initium, non exitum contractuum spectamus. *l. 9. C. de rescind. vend.* ibique Brunnem. (3) notandum quod merces debeat constitui certa, vel per determinationem partium, vel relationem certam. *l. 25. ff. t. ubi etiam*, quid obtineat si generaliter relatio sit facta, aut nominatus definiat, aut definire noluerit, si tamen factum locari solitum, lege aliqua vel statuto definitam habeat mercedem, tunc eo ipso, quo inter aliquos convenit de opera praestanda, tacite censetur de mercede lege determinata etiam contractum esse, hinc actione locati cond. eam petere non prohibetur, & locatio inita esse censetur, *annotat. ad summ. Azon. in C. h. t.* sic satis certa merces est, quando quis operatio in vineam conducto promittit dare, quod dabunt alii, vel quod ipse conductor dabit aliis ; non tamen adeo expeditum est, quid agendum, si illud disforme & varium ; alii mediam viam eligendam esse, volunt, *arg. l. semper in stipulat. de R. J. Boer. qu. 129. num. 22* aliud quod minus est sequi debere contendunt, cum *l. 9. ff. de R. J.* procedat quoque in contractibus. Sic sentiunt Gvid. Pap. *quest. 252. Dec. Conf.*

Conf. 423. Col. 3. Natta Conf. 229. num. 2. Borgn. Dec. 13. n. 46. p. 2. Notandum (4) quod merces debeat esse vera, non simulata, sive dicis tantum, aut donationis gratia adhibita, ut si in uno nummo constituitur. *l. 46. ff. b.* si tamen operæ minimæ sint, ut si uno nummo æstimari possint, tunc in eo mercedem consistere posse, nemo est qui forte dubitabit. Denique (5) notandum quod esse debeat justa, & operæ respondens. *arg. l. 46. ff. b. & l. 66. ff. de jure dot.* quæ autem merces justa dicatur quaritur? Ad communem æstimationem peritorum hominum respiciendum esse, dicit Lugo *Disp. 29. sect. 3. n. 62.* Bonacin. de Contract. *qu. 7. punct. 4.* subjacet etiam aliquando mercedis determinatio constitutioni superioris: ob læsionem tamen aliquam, dimidium non excedentem, non conceditur hujus contractus rescissio. *arg. l. 23. ff. b.* Hucusque de forma essentiali.

Th. XVII. Ad formam accidentalem referri potest determinatio temporis, quamdiu operæ præstari debebant, ut & accessio fidejussionis: Circa prius quaritur, an in perpetuum quis operas locare possit? pro negativa facit, quod per hujusmodi conventionem jus libertatis naturalis infringatur *arg. l. 71. §. 4. ff. de Condit. & demonstr. Gloss.*

D

& DD.

& DD. in l. antiquitas C. de usufr. qualis non valet, cum sit contra bonos mores, l. 1. & 2. de lib. hom. exhibend. l. conventio ff. de liberal. caus. l. nec si volens C. eod. Hanc sententiam probat Sichard. in pr. C. locat. num. 9. ubi hæc verba: *maneo ergo in sententia hac, quod credam, perpetuam locationem operæ factam ab homine libero, præsertim in certo loco, non valere.* Affirmativam, quæ & venior videtur, defendit Covarruv. de sponsal. 2. par. cap. 7. n. 5. nam falsum est, quod hæc obligatio, uti quidem dissentientes volunt, tendat ad diminutionem libertatis: facit, quod quis tempore feriato non laboret, quod possit servire per substitutum, quod præstando interesse, liberetur. Brunnem. ad l. 22. C. locati.

Th. XVIII. Quod posterius membrum attinet, an obligationi operarum possit accedere fidejussor, vid. apud Carocc. in tract. de locat. Cond. p. 5. qu. 31. qui affirmat, per text. in l. nemo est. ff. de duobus reis: hoc scil. modo, ut fidejussor promittat easdem operas, quas principalis promissit, in eventum, quando ipse non præstet, & hoc in operis fabrilibus accedente consensu creditoris, identitate, vel similitudine peritiæ. Potest addi & hæc ratio, quod licet principaliter & directe factum in obli-

obligationem deducatur, subordinate tamen subsistit obligatio ad interesse, cui fidejussor sine dubio accedere potest.

Th. XIX. Effectus contractus nostri primarius est à parte locatoris, quod ad operas præstandas obligetur, quanquam per substitutum eas præstare possit, sive per alium æque bonum artificem. Azo in Summa *C. locati num. 6.* nisi industria personae fuerit electa, Perez. in *C. ad Tit. locati n. 11.* quo casu obligatio operarum non transit ad hæredes locantis, cum in hoc non eadem industria reperitur, nec ab eo forte ita explicari possit. Gloss. in *l. 5. C. de stipulat.* Molin. *Tr. 2. D. 489. num. 4.* quae alias ad ipsum fuisset transitura. vid. Brunnem. *ad l. 10. C. locat.* sane literae moratoriae non eximunt locatorem a præstatione operarum, sed ad factum compelli potest. *l. item si pretio §. pen. ff. locat.* ubi Bald. & est consuetudo in Francia, ut hi soleant ad factum compelli: imo non liberantur per cessionem bonorum, late Gvilhelm. de Cumo in *l. 1. C. de Cession. bonor.* sed in carceres conjici possunt donec obligationi pareant. Petr. Rebuff. *tr. de liter. dilat. art. 1. Gl. 1 n. 39.* ubi hoc ita servari se vidisse testatur. Quid vero dicendum, si duobus operas promiserit, uter præferendus, v. g. pro

promisit quis duobus scribere, servire &c. : Resp. priori conductori ante satisfieri debet, *l. in operis ubi Bart. ff. locati.* Sic advocatus, procurator, vel notarius (quanquam ipsorum opera non constituat objectum contractus nostri) tenetur servire cui primo promisit : magis hoc procedit in famulis, late Carocc. *cit. tract. p. 4. quest. 19. n. 8. & seqq.*

Th. XX. Dictum fuit, quod locator ad operas præstandas teneatur : Si vero contumax sit, quid faciendum ? Jure Romano non perinde ut res manu militari auferri *l. 68. de R. V.* ita factum invito extorqueri poterat, & à ratione istius juris omnino videtur alienum, recusantem in custodia aliqua detineri, hinc recurri debebat ad facti æstimationem. Nostro jure hodierno, ut supra monitum, in omnibus faciendi obligationibus promissorem præcise cogi ad facti præstationem, tradit Grœnw. de Legib. abrogat. *ad l. 13. de re judicat.* adeo ut facere recusans, in custodia aliqua detineatur.

Th. XXI. Cæterum operæ præstari debent debito modo & studio, & quidem in simplici operarum locatione ex natura contractus ultra culpam levem non præstat locator. Scotan. in Exam. *ad tit. locati. per leg. 58. ff. locat.* hinc qui con-

duxit

duxit opus faciendum non præstat culpam levissimam, quia contractus ob utriusque utilitatem in-
 itur Carpz. 2.37.24. Bach. ad Treud. vol. 1. D. 29.
 th. 6. lit. E. aliud tamen dicendum, si quis locavit
 operas ad transportandam rem, quæ facile frangi-
 tur. textus notab. in l. 25. § pen. ff. locat. vid. Ca-
 rocc. p. 4. q. 1. n. 9. unde illud inferri dicit num. 11.
 quod si quis ad mundinas profecturus, locet alicui
 transportandas salmas vitri, ollarum & similium
 quæ facile franguntur, alter teneatur de culpa levis-
 sima; quod maxime procedit in opifice, à quo
 exactissima diligentia exigitur, quem non excusat,
 quod suam peritiam adhibuerit, vel omnem dex-
 teritatem pro virili impenderit, nisi talis adhibita,
 qualem in arte illa ulli præstare possibile, nam qui
 singularem peritiam profitetur nihil ex impericia
 committere debet. Illustr. Dn. Præs. Ex. 24. th. 20.
 Imo talis artifex censetur suscepisse omnem cul-
 pam, præprimis, si res sui natura exactissimam di-
 ligentiam exigat, prout, polire adamantem, gem-
 mas, aurum, vestes, brocardicos, & hujus generis
 similia. Carocc. cit. l. n. 14.

Th. XXII. Inde sequitur, quod si per impe-
 ritiam damnum dederit artifex, illud resarcire de-
 beat; l. 9. §. 5. locat. l. 51. §. locavi. eod. si vero dam-

D 3

num

num refarcire non possit, puniendus carcere. l. 4.
C. de serv. fugitiv. Concordant statuta Mindens.
 Crusius in Comm. ad Jus statutarium Mindens.
 L. 1. T. 8. art. 11. verba statuti sic se habent: **Es soll**
eint jeder Handwerker, er sey wer er wolle, der ei-
ne Arbeit angenommen, und solche dem Abschiede
nach nicht verfertiget, oder verderbet, nicht allein
was er an Gelde empfangen wieder restituiren,
sondern auch den Schaden auf Ermessung der
Obrigkeit gelten und abtragen, wenn er aber sol-
ches nicht vermöchte, soll er mit schwerer Gefäng-
nis abgestraffet werden. **Atque** ita contra Sar-
 torem quendam pronunciatum esse restatur id
 Crus. cit. loco.

Th. XXIII. Præterea opera præstari debent
 iusto tempore, & quidem non nocte, nisi fortassis
 domini non interlit, sed interdiu Carocc. p. 5. qu.
 27. n. 6. & 7. ubi: quod operarius conductus o-
 perari debeat primis horis diei, non ultimis; quia
 vesperi non ita prompti sumus sicuti mane, sane qui
 conducit operarios singulis diebus pro certo sala-
 rio, intelligitur de summo mane ad vesperam, non
 de die 24. horarum conduxisse. Late Tiraqu. de
 Retract. lingnag. §. 1. gloss. 11. n. 11. unde nocte ad-
 veniens

veniente operas relinquere possunt, ante omnia vero respici debet ad loci consuetudinem.

Th. XXIV. Cœterum si non justo tempore opera præstita sint, indeque damnum sentiat conductor operarum, locator ad interesse tenetur, sic si quis ædes ruinam minantes habeat, quæ celeri restauratione indigent, easque fabro murario ostendat, qui ita mercede conventa promisit intra tres dies fulcire, & intra mensem reficere, non tamen facit vel plane imperite facit, unde domus corruit, damnumque dominus passus est, cum enim ab initio refici potuissent pro 10. vix modo pro 50. tenebitur qui operas locavit ad integrum damnum, scilicet non tantum ad ædificii æstimationem, sed rerum etiam in domo amissarum, per *l. si servus §. si quis insul. ff. ad leg. aquil.* vid. tamen Cabal. *de eo quod interest n. 179.* & parum facit; sive per dolum cessaverit, sive ex culpa & negligentia, adeo ut de culpa etiam levissima teneatur Castr. *in l. si merces §. qui columbam ff. locat.* Cabal. *cit. l. 181.* sane si ob legitimam causam impeditus, non poterit opus perficere aliud dicendum.

Th. XXV. Monendum tamen, quod licet tempus operi efficiendo præfixum præterierit, tamen re integra locator liberetur à præstatione ejus quod

quod interest, si factum expedierit, ut ita ex bono & æquo contra summum jus moræ purgatio admittatur. Vinn. ad §. 7. n. 2. *J. de V. O.* quod tamen procedit ante litem contestatam, postea enim non licet. Wissenb. ad *tit. de V. O. th. 8.* cum vero frequentius accidat, ut tempore litis contestata factum duntaxat inceptum sit, non tamen ad finem perductum, quaestio est, an tunc quoque præstationem ejus quod interest evitet? Et pro negativa, quam tenet Stephan. Forcat. *tract. de mora p. 13. n. 9.* (Crotus quidem in *d. l. insul. n. 97.* ponderat *leg. continuis §. item qui insul. ff. de V. O.*) facit, quod is opus haud ullum fecisse intelligatur, qui propriam ei formam, quæ ex consumatione contingit, non dederit *l. si is qui quadraginta §. quædam legata ff. ad leg. falcid. cum simil.* porro quod verbum *faciendi* potiore significatione non tam factum inchoatum, quam consummatum denotat, & verba in potiore, sive potentiore significatione accipienda esse, non ambigitur, *c. pen. de sentent. excomm.* ait autem Paulus in *d. l. si in insul.* facientem liberari ante litem contestatam: oportuit ergo eum sensisse de facto potius consummato, quam duntaxat inchoato ante hanc contestationem &c. Verius tamen est, eum qui factum inchoa-

choavit, evitare præstationem ejus quod interest, quantumvis tempore litis contestandæ nondum fuerit consummatum, ut recte censuit Raphael Cui-mann, in *d. l. si insul. ubi Castr. n. 3. & alii.* Pro qua sententia ponderari potest *d. l. si insul.* dum Paulus ait, posse facientem liberari namque participium præsentis temporis denotat actum non tam præteritum, quam præsentem, prout est in fieri. Similiter in *d. §. item qui insul.* Venulejus utitur Verbo præsentis temporis, ædifices. Sic igitur uterque JCtus non obscure indicat moratorem non tum demum, quando fecit quicquid debuit, seu factum absolvit, sed illo ipso tempore dum facit, moram purgare & liberari, si non ipso jure, saltem per exceptionem, qua sese tueri potest quisque jure permittente moram ita purgavit, ut ut obligationi nondum integre satisfecerit *l. etsi post tres ff. si quis caution.* latiore hujus explicat onem vid. ap. Andr. Kohl. *Exerc. XV. n. 37. seqq.* Occasione temporis quæri potest, quod si artificii cui-dam juvenis aliquis traditus fuerit, ut per annum, annosve consuetos artificio instrueretur, daß er die Lehr-Zahre bey ihm ausstehen, item, vor et-nen Gesellen arbeite, si tunc intra istum annum, annosve aufgeret, deinde reversus fuerit, an ist-

E

hoc

Hoc tempus debeat de novo inchoare, an totidem solum, quot diebus absuit complere? Sufficere ut totidem dies, quot absuit, addantur, decidit ex *l. servus qui testamento. 14. d. ult. statutis. Hartmann. practic. observ. L. 2. Miscellan. c. 1. obs. 1.*

Th. XXVI. Postquam de modo & tempore præstandi operas dictum, non immerito quaeritur, cujus sumptibus exhiberi debeant? Sane quod operas officiales, sive ut Zasius eas specialius indigitat, serviles & ministeriales attinet, regulariter domini, cui eduntur sumptu & victu, præstantur *l. 21. ff. de oper. libert.* Artificiales vero regulariter edentis sumptu. *l. 18. ff. de oper. libert. Zas. singul. intell. L. 1. c. 2. num. 57.* Surdus in *Tr. de aliment. Tit. 1. quest. 66. num. 130. § 14.* ubi, quod in præcedentibus dixit, in operario ad opus aliquod faciendum conducto, quod suo sumptu vivere debeat, fallere ait in servo. Quicquid sit, sive officiales operæ præstantur sumptibus edentis, sive artificiales victu ejus cui eduntur, parum refert, priori enim casu plus ratione mercedis dari debet, sicut posteriori inde solet aliquid deduci. Illud vero observandum, quod promittens opus seu artificium ex amicitia, nulla pacta mercede, & ex nulla compensatione, ab eo cui promissit opus faciendum,

dum; recipere debeat alimenta & impendia, *Coler. l. 1. de aliment. c. 13. n. 98.* ubi: quod officiales operæ domini sumptu præstentur, maxime procedere ait, cum operarii mercedem aut pretium pro labore non recipiunt, sed gratuitas exhibent operas. Est enim hoc casu quasi species commodati, ratione operarum, non etiam promissio seu donatio impenfarum ad opus perficiendum utilem, quoniam operantem commodato, accipienti incumbit ejus alimentatio; donatio vere impenfarum non præsumitur. *vid. l. 18. §. 2. ff. commodati.* Secus est quando promittit operas ex quadam recompensatione, tunc enim suo sumptu debet alere. *l. 18. ff. de oper. libert.* Sic is qui loco pecuniæ, à se in societatem ponendæ, operam suam promittit, sumptu suo debet artem seu operam ministrare; nisi expresse conventum sit, victum de communi societatis massa præstandum esse, *Lodovic. Roman. Conf. 346. n. 15. Frider. Prukmanni Conf. 30. n. 102. seq.*

Th. XXVII. Cum vero operæ circa rem alienam præstari debeant, uti videmus in sartoribus &c. ut opus inde conficiatur, consequens est, locatorem ad custodiam domino teneri, inde si apud sarcinatore[m] vel fallonem mures raserint ve-

res, aut si furto amissæ sint, domino tenentur ad earum æstimationem. vid. Disp. de muribus cap. 5. §. 25. habita sub præsidio Illustr. Dn. Struvii, etiam si suas res eodem modo amiserint. *l. itaque de furt. arg. l. cum in plures. 6. §. vestimenta. 2. locat. cond. Jalon. in l. prator. alt. de edend. Coler. P. 1. d. 8. n. 19.* atque ita respondisse DD. Lipsienses, testatur Illustr. Dn. Præses in Decis. Sabbath. C. 9. D. 37. Idem dicendum, si rem permutaverint, tradendo uni quæ erat alterius. vid. *l. 13. §. 6. ff. locat. l. ane si sarcinator ob vestimenta furto amissa domino satisfecerit, hic rei vindicationem, ut & conditionem, furtivam sc. illi cedere debet l. 25. §. fin. l. 60. §. 2. ff. locat. Lenz. tract. de action. & nomin. cess. on. c. 7. membr. 14. n. 5.*

Th. XXVIII. Coeterum hæc obligatio non debet extendi ad casum fortuitum in materia contingentem, hinc si v. g. vestimenta apud fullonem vel sarcinatore[m] vi majori pereant, casus iste ad dominum pertinet, adeo ut operario nequidem forma pereat, cum nihilominus dominus materiae pro præstita opera mercedem solvere teneatur, *l. 33. vers. quemadmodum ff. locati.* Sane si culpa vel mora locatoris operarum casum præcessit, vel pacto ejus præstationem in se recepit, vel res ita data, ut

ut alia ejusdem generis reddatur, v. g. si aurifabro argentum dederò, ut scyphum sive ex hoc sive ex alio ejusdem bonitatis conficiat, rationi juris conveniens est, casus fortuiti præstationem ad ipsum pertinere. vid. Illustr. Dn. Præl. *Ex. 19. tb. 44. & Ex. 24. tb. 23.* Majus controversum est, si ipsi operi casus fortuitus contingat, v. g. architectus promisit extruere ædes, faber murarius murum, corruunt ædes, vel murus, ad quem casus fortuitus pertineat, quaeritur? Sane pro diversitate casuum diversimode respondendum, aut enim (1) ruina contingit citra vitium operis, v. g. ex vitio soli, terræ motu &c. tunc periculum ad eum pertinet, cui opus fieri debebat. textus express. *in l. 59. ff. locati*: ibique Mornac. ubi quod artifex non teneatur ultra metas artificii sui, cum vitio operis ruina non contigerit, sed casu: adeo ut etiam si domini approbatio nondum accesserit, tamen hic casum fortuitum ferre debeat *l. ult. ff. locat.* ibique Bartol. ubi: *si rivoam quem faciendum conduxeris & feceris antequam eum probares, labes corrumpit, tuum periculum, imo si soli vitio id accidit, locatoris est periculum*, modo tamen opus tale fuerit ut probari debeat *l. 37. ff. locati*, aut (2) casus accidit ob vitium operis, & tum tres casus notandi sunt: aut enim

nim (1) operarius se non obligavit ad totum opus
 perficiendum, sed singulis diebus tantum locat o-
 peras suas, tunc ruina quandoque contingente,
 non tenetur. *l. ea lege §. locavi ff. locati.* quam le-
 gem ad hoc singularem dixit Bartol. ibidem & Ro-
 man. *Conf. 297.* Bald. *in l. adversus C. eodem.* im-
 putet enim sibi dominus, quod talem magistrum
 assumerit, quem diutius poterat reprobare, & cum
 hoc non fecerit, operas ejusdem videtur appro-
 basse, ideoque opere perfecto si vitium in opere
 apparuerit, amplius reprobare non potest quod
 semel probavit. Gothofr. *ad l. 51. §. 1. ff. locati.* li-
 mita: nisi opus ita sit locatum, ut bonitas ejus do-
 mino ab operario approbaretur, nihil enim inter-
 est, utrum uno pretio opus, an in singulas operas
 collocatur, si modo universitas consummationis
 ad operarium pertinuit. *d. l.* aut (2) locavit operas
 ut in pedes mensurasve merces praestetur, eatenus
 operarii periculo est, quatenus ad mensum non est
l. 36. ff. h. t. modo per Dominum non steterit quo-
 minus admetiatur. *d. l.* postquam vero semel ad-
 mensum est, nihil ulterius domino de bonitate o-
 peris praestare tenetur: aut (3) locavit operas, ut
 opus uno pretio conficeret, quod contingit, quan-
 do a versione opus locatum est, tum periculum est
 operarii,

Operarii, donec approbatum fuit, nisi per dominum steterit quo minus approbetur, hoc enim casu ad hunc etiam opere nondum probato, periculum pertinet. *cit. l. 36. b. t.* conferatur Sebast. Medic. Tract. de Cas. fortuit. Part. 2. *quæst. 10. n. 20.* item Carocc. *p. 5. qu. 16.*

Th. XXIX. Illud denique sciendum, quod locator operarum sapius ad aliquid obligetur, quod tamen in conventionem deductum non est, sic cum nunciatio novi operis fieri debeat in loco ubi opus fit, saltem presentibus & spectantibus fabricis vel opificibus, hi domino suo renunciare debent, quod si vero vel omnino non, vel tardius renunciaverint, nunciatio nihilominus valet, & isti tenebuntur domino ad interesse. Frider. de Process. *L. 2. c. 30. n. 23.*

Th. XXX. Haecenus de obligatione locatoris operarum, sequitur illa, qua conductor obstringitur, hic vero tenetur ut pro opera præstita mercedem solvat, *l. 30. §. pen. ff. locati* solvi autem debet eo tempore, quo inter contrahentes convenit, si id non apparet, modum regionis attendere debemus, si de eo non constet, causa hæc reducenda erit ad id, quod minimum est, hoc est ut exigatur merces opere demum perfecto, uti *ex l. semper*

in stipulationibus ff. de R. J. colligit, & statuit Azo in C. b. T. n. 12. Frantzk. b. T. n. 188. Barbol. ad l. 2. C. b. T. num. 4. Mornac. ad l. 30. §. qui adem ff. b. T. ubi hæc verba; quod si a versione unoque pretio quod opere perfecto solvi debeat, faciendum opus locatum fuerit, tum expectare necesse est, donec ei propriam formam, qua ex consummatione contingit, conductor dederit. arg. l. 79. §. ult. ff. ad Leg. Falcid. sane si opus faciendum notabilem temporis tractum & sumptus majores requirat, tum æquum est, ut merces per partes successive dum opus fit, solvatur; imo etiam prærogetur, modo artifex de opere perficiendo idonee caveat. Frantzk. b. T. n. 189. Barbol. ad cit. l. 2 n. 3. Illud constat, quod si merces ad mensuram, vel in dies est constituta, opere etiam imperfecto, jure petatur. l. 30. §. pen. ff. b. l. adeo ut præstans operas possit adversus conductorem de metiendo quod jam factum est agere. Mornac. loc. supr. citat.

Th. XXXI. Habet vero artifex omnis generis pro mercede consequenda privilegium tacite hypothese. Calus est in futuro, scriptore & similibus. Angel. in l. interd. §. ff. qui potior. in pign. n. 2. Surd. de aliment. T. 8. privo. 62. n. 12. & in fabro, qui in opere vel ædificio reficiendo vel instruendo
labo

laborem impendit pro mercede. Rodriq. de privil. credit. P. 2. num. 4. in sartore in vestibus. Mercur. Merlin. de pignor. & hypothec. L. 3. T. 1. q. 5. n. 25. & seqq. sic Coementarius præferendus est in pretiis locationum cæteris creditoribus. Mornac. ad l. 6. ff. qui potior. in pign. sic faber murarius, vel lignarius, qui domum, quæ venditur, reparavit, vel melioravit, præferendus est omnibus creditoribus; Christin. ad consuet. Mechlin. Tit. 13. art. 14. in addit. in f. adeoque etiam Venditori, ratione residui pretii, si forte illa ædes incendio combustæ, & à fabris lignariis aliisque artificibus reparatæ: uti in Illustri Collegio Juridico anno præterlapso de Jute responsum esse privatim percepi ab Illustr. Dom. Præs. An vero & rem ipsam vindicare possint artifices? quaeritur; si cum opera & materiam ipsam de suo adjiciunt, pretio non soluto vindicare eos posse, quod ex opera materiaque sua affabre fecerint, licet ab iis traditum, habet? Mornac. ad l. 5. §. plane ff. de tribut. act. adeo ut res etiam Deo dicatas & benedictas vindicare possint si pretium non solvatur. Mornac. ad l. 1. de R. D. ubi casum elegantem habet de fabro arario, qui nolas clericis exhibuerat illasque sacrari & benedicti passus erat, nulla accepta pecunia, quam cum peteret, eam

F

Clerici

Clerici denegarunt, & rem ipsam vindicanti opposuerunt, quod Deo consecrata esset, indeque vindicari non posset, obtinuit tamen, quod licita esset rei vindicatio. Sane hæc intelligi debent, si fides de pretio non fuit habita. Quanquam hi casus non pertineant ad nostrum contractum, sed referri debeant ad empt. vend. Illud constat quod rei vindicatio locum non habeat eo casu, si artifices utrumque in fundo alieno impenderit, v. g. si redemptores suis Coementis ædificant, tunc enim statim faciunt Coementa eorum, in quorum solo ædificant *l. s. §. plane de tributor. act.* ibique Mornac. Cæterum si quis circa rem alienam operas impendit ne quidem tali casu quo res inde facta ad priorem materiam reduci potest, dominium rei habebit, cum ut ex specificatione res sit specificantis, requiratur speciem esse factam, non alieno, sed proprio nomine. Quæ vero dicta sunt de hypotheca artificibus pro mercede debita competente, intelligi debent de re circa quam operas suas adhibere, in aliis vero debitoris bonis nec artifices neque operarii hypothecam habent, multo minus jus prælationis, late Carpzov. *l. 28. D. 27. §. multis seqq.* quanquam moribus (aliud vero dicendum de Jur. Civ.) ministris domesticis ratione mercedis
 jus

ius prælationis præ omnibus creditoribus, etiam præ fisco concedant, eosque in prima classe locent. vid. Pistor. *P. 1. qu. 8.* modo (1) certa merces ipsis promissa, & (2) eo tempore quo creditores de prioritare certant, in ædibus & servitio ejus reperiantur. Pistor. *cit. loc. num. 6.* Johann. Köppen. *Decif. 28. num. 14.* & (3) mercedem apud dominum animo credendi non reliquerint, alias ad chirographarios referuntur.

Th. XXXII. Cæterum cum merces præstatur pro opera, hac non præstita, etiam ob casum fortuitum, illa non debetur. Illustr. Dn. Præl. *Ex. 24. th. 22.* Imo si quid datum, hoc potest repeti, non quidem conditione indebiti, sed actione locati. Wissenb. ad *Tit. ff. locati. th. 16.* Inde etiam est, quod famuli nostri temporis, si adversa valetudo aliave justa causa impedimento fuerit, quominus diutius servire potuerint, integram mercedem petere non possint, sed pro rata temporis eam remittere teneantur. *arg. l. 15. §. 6. Luo Disp. 29. §. 3. num. 58. non obstat Lex 4. §. 5. ff. de stat. liber. ibi enim est favor Libertatis. Nec l. 19. §. 9. & seq. ff. b. T. quia ibi per locatorem stetit. Nec l. fin. §. 1. ff. ad l. Rhod. de fact. ubi de pœna serim est. vid. Frantzk. b. T. num. 196.* Imo famulis & ancillis æ-

F 2

grotan-

grotantibus dominum nec ad sumptus curationis obligatum esse, docet præter alios Molina *de J. & J. Disp. 505. n. 1.* Charitas tamen & commiserationis ratio requirit, ne famuli morbo impediti statim ab iis, quibus inserviunt domo expellantur. *l. 4. §. 5. de stat. lib. conf. l. 27. b.* Illustr. Dn. Struv. *Ex. 24. tb. 22.* Sane si per locatorem non steterit, quo minus operæ præstitæ non sint, merces debetur. *l. 38. ff. locati.* sic si quis paratus sit operas præstare, conductor vero in causa sit, quo minus præstitæ sint, v. g. si famuli ancillæve ante tempus locationis à domino sint dimissi sine iusta causa, aut propter nimiam lævitiã domini abire coacti ante finitum tempus, tum integra merces nihilominus solvi debet. *Carpz. 2. D. 137.* sic si quis tironem in opificio instruendum, & alendum ea lege suscepit, ut ipse triennio apud ipsum maneret, operas præstaret, & certam pecuniam, v. g. 50. florenos solveret tyro vero decimo-octavo mense absoluto moreretur, hæredes ejus nihil de 50. florenis reperere possunt, per ea quæ tradit *Tuld. in C. h. T. n. 10.*

Th. XXXIII. Illud Qu. si operarius; cui opus locatum fuit, laborando fregerit aut perdidit instrumentum, v. g. faber incudem aut malleum, figulus fornacem coctoriam, cui pereat? Respond.

spond. operario, non vero opus locanti, cui mercede conductus præstabat cum instrumentis operas l. 2. §. 1. ff. ad Leg. Rhod. de factu. Jason. ad l. 26. §. 12. ff. de conduct. indeb. n. 31. Bald. inf. ad l. 10. C. de testibus. Martin. Mager. à Schönberg de advocat. armat. c. 14. n. 453.

Th. XXXIV. Ad persequendum quod ex hoc contractu sibi invicem præstare debent partes, datur duplex actio, una locati, altera conducti. Illa datur locatori operarum adversus conductorem ut mercedem pro præstita opera solvat, una cum usuris post moram. l. 17. C. b. T. l. 54. ff. b. T. l. 11. §. 4. ff. de usur. est enim hoc negotium bonæ fidei, ex quo ob moram usuræ debentur, non minus ac conductor obligatur ad refundendas expensas, quas operarius pro mercede consequenda fecit. Carocc. P. 7. concl. 40. sane cauta hæc mercedis & salarii est favorabilis cum ex jure divino constet quod operarius sit dignus mercede sua, Luc. c. X. v. 7. Paul. ad Timoth. c. V. v. 18. & alibi dicitur: *non maneat merces operarii tui usque mane*: Ergo extradenda Carocc. P. 1. qu. 23. num. 7. nec concedendum est dominis mercedem sub obtentu damni vel debiti illiquidum detinere Mev. 7. Dec. 7. processus præterea summarius est, adeo ut nec feri-

ria ullo modo obstant. Bald. in *auth. nisi breviores C. de sent. ex brev. recitand.* juxta illud Matthæi XX. *voca operarios, & redde singulis mercedem.* Quod tamen alii putant saltem verum esse in causa pauperis operarii, non habentis unde vivat. Bonacof. *de famul. quest. 222.* & certe in causa alimentorum & victus non obstant feriæ in honorem Dei. *l. 2. ff. de feriis.* Marant. de ordin. Judicior. *dist. 9. num. 6.* Socin. de feriis in honor. Dei *dicat. art. 19. num. 7. fol. 2.* Habet præterea locator ratione mercedis jus retentionis in re circa quam operam adhibuit, modo (1) detentionis initium sit justum, nam ex vitiosa rei occupatione non competit. *Mev. 9. D. 43. & 2. D. 214.* (2) Ratione ejusdem rei debeatur, nam quando debitum rem non respicit, retentio denegatur. Et (3) ut debitum sit liquidum non controversum, quanquam non statim censeatur illiquidum ex nuda contradictione adversarii. *Mev. 2. D. 16.* sane his requisitis concurrentibus ille, cui jus retentionis competit, rem nequidem sub cautione dimittere tenetur. *Mev. 2. d. 15.*

Th. XXXV. Quanquam vero causa mercedis favorabilis sit, in tantum tamen privilegiata non est, ut non liceat mercedes diurni laboris operariis sequestrare. *Carocc. p. 7. concl. 104.* aut ut
 ipsis

ipsis ratione denegati salarii liceat domino quicquid subtrahere, quamvis poena corporis afflictiva, praepriis capitalis illa laquei locum non habeat. *Illustr. Dn. Praef. Ex. 48. th. 25.*

Th. XXXVI. Quod Conductorem operarum attinet, ei datur actio conducti contra locatorem, ad operas praestandas, damna resarcienda, & ad consequendum id quod interest si operas praestare nolit: competunt actiones istae hereditibus, & in heredes. *l. 10. 20. § 34. C. b. T.*

Th. XXXVII. Contraria denique maximam partem ex superioribus patent, quoties enim inhabilitas adest circa personas, vel objectum, aut denique modo & formae contrahendi vitium accedit, toties ipsa conventio nullius momenti est; placet tamen unum alterumve adhuc monere: Sane mutuo dissensu ab hoc contr. recedi posse, nemo dubitabit, per *l. 35. ff. de R. J. sic & morte locantis operas dissolvitur, quoties personae industria electa: sic ob laesionem ultra dimidium rescindi potest ex l. 2. C. de rescind. vend. nam dictam legem in locationibus locum sibi vindicare, est communis DD. opinio. Pinell. in *Tr. de rescind. vend. P. 1. c. 3. n. 17. § seqq.* etiam in locationibus operarum. *Carocc. P. 1. quest. 70. num. 4.* ubi notabiliter ait:*

Locum

Locum habet dicta sc. lex in locationibus operarum, quas faciunt architecti, fabri lignarii, & similes, & si fuerint decepti ultra dimidium valoris operarum conductarum & locatarum, competit beneficium leg. 2. Denique sciendum, quod locator operis aliquando ob mendacium conductoris recedere ab hoc contractu possit: exempli gratia, rogavi artificem, ut exploraret & inquireret, quibus sumptibus domum, aliamve rem possem ædificare, is autem ex calliditate minus dixit, cujus intuitu opus faciendum pro certa mercede ipsi locavi, cum autem opus vix inchoatum esset, vidi me plures sumptus impendere debere, hinc licite recedere possum, cum dolo inductus sim ad contrahendum in hoc bonæ fidei contractu. vid. l. 60. §. 4. ff. locati. Cujus constitutionem summe notandam esse adversus ædificiorum redemptores, vult Gothofred. ad leg. cit. lit. U. ubi quoque lit. Y. præter restitutionem illius, quod ipsi prærogavi, etiam ratione interesse illum convenire posse,

statuit.

SOLI DEO GLORIA.





ULB Halle 3
002 429 918




SC

V017







B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

1692 12 1 6 30 8

DISSERTATIO IVRIDICA,
DE
**OPERARVM LOCATIONE
ET CONDVCTIONE,**

GERMANIS:
Von denen rechtlichen Fällen, welche sich in Sachen bedu-
tender und nicht gelieferter Arbeit / mit Bauleuten, Künst-
lern, Handwerckern, Befinde, zc. begeben.

QVAM
PRAESIDE
GEORGIO ADAMO STRVVIO,

ICTO CELEBERRIMO,
FACVLT. IVRID. ORDINARIO ET H. T. DECANO FAMB
GERATISSIMO, CONSILIARIO SAXONICO
GRAVISSIMO, CVRIAE PROVINCIALIS ET SCABI
NATVS ASSESSORE DIGNISSIMO,

ERVDITORVM EXAMINI SVBIIICIT
A. E. R.

IO. CASPARVS MAERCKER.

HATNEGA - MARKANVS, IVR. CVLT.
AD DIEM XXX. IANVARIJ CIO IO C XCII.



IENAE,
REC. LITTERIS IO. BERNH. HELLERI, 1747

